

MU
MISSÆ PROPRIÆ
DIECESIS
BEROLINENSIS

A S. RITUUM CONGREGATIONE APPROBATÆ

DIE 3 APRILIS 1933

JUSSU ET AUCTORITATE

EXCELLENTISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI

DOMINI

NICOLAI BARES

EPISCOPI BEROLINENSIS

PRIMUM EDITÆ



1934

RATISBONÆ

SUMPTIBUS ET TYPIS FRIDERICI PUSTET
S. SEDIS APOSTOLICÆ ET S. RITUUM CONGREGATIONIS TYPOGRAPHI

SACRA CONGREGATIO RITUUM

No. B. 21/933

BEROLINEN.

Excellentissimus ac Rev.mus Dominus Christianus Schreiber,
Episcopus Berolinensis, Sacrae Rituum Congregationi Propri-
um Missarum in usum Cleri sibi commissæ Dioeceseos, pro oppor-
tuna approbatione, humillime subjicit. Sacra porro eadem Ritu-
um Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo
Domino Nostro Pio Papa XI tributarum, ipsum Proprium
Missarum rite et diligenter revisum, uti in adnexo prostat ex-
emplari, probare dignata est, ac usui Cleri Dioeceseos Beroli-
nensis concedere. Quibuscumque contrariis non obstantibus.

Die 3 Aprilis 1933

C. Card. Laurenti S. R. C. Præfектus

L. S.

A. Carinci S. R. C. Secretarius

APPROBATIO

Concordat cum originali approbato.

Berolini, die 8 Maii 1934

L. S.

DR. STEINMANN

Vic. Gen.

IMPRIMATUR.

Ratisbonæ, die 17 Maii 1934

DR. HÖCHT

Vic. Gen.

MISSÆ PROPRIÆ DIŒCESIS BEROLINENSIS

Die 4 Februarii

S. Rabani Mauri Ep. et Conf.
Duplex

Missa Sacerdótes tui, de Communi
Confessoris Pontificis 2 loco, præter
Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ sa-
lútis beátum Rabánum míni-
strum tribuísti: præsta, quá-
sumus; ut, quem doctórem
vitæ habúimus in terris, intercessórem
habére mereámur in cælis. Per Dómi-
num nostrum.

Et fit Commemoratio S. Andreæ Cor-
sini Ep. et Conf.:

Oratio

Deus, qui in Ecclésia tua nova semper
instáuras exémpla virtútum: da pó-
pulo tuo beáti Andréæ Confessóris tui
atque Pontificis ita sequi vestígia; ut
assequáutur et præmia. Per Dóminum.

Secreta

Sancti Rabáni Confessóris tui atque
Pontificis, quásumus, Dómine, án-
nua solémnitas pietati tuæ nos reddat
accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis
officia, et illum beáta retribútio comi-
téatur, et nobis grátiae tuæ dona concí-
liet. Per Dóminum.

Pro S. Andrea

Secreta

Sancti tui, quásumus Dómine, nos
ubique lætíficent: ut, dum eórum
mérita recólimus, patrocínia sentiá-
mus. Per Dóminum.

Postcommunio

C

Deus, fidélium remunerátor animá-
rum: præsta; ut beáti Rabáni Con-
fessóris tui atque Pontificis, cuius ve-
nerándam celebrámus festivitátem,
précibus indulgentiam consequámur.
Per Dóminum.

Pro S. Andrea Postcommunio

Præsta, quásumus, omnípotens Deus:
ut, de percéptis munéribus grátias
exhibéntes, intercedénte beáto Andréa
Confessóre tuo atque Pontifice, bene-
ficia potiórā sumámus. Per Dóminum.

**¶ De S. Andrea dici possunt, juxta
Rubricas, Missæ privatæ, cum 2^a Ora-
tione S. Rabani.**

Die 15 Martii

S. Clementis Mariæ Hofbauer
Confessoris
Duplex majus

Missa Justus ut palma, de Communi
Confessoris non Pontificis 2 loco, præ-
ter Orationes sequentes:

Oratio

PDeus, qui beátum Cleméntem Ma-
riam miro fidei róbore et invictæ
constántiæ virtúte decorásti: ejus méritis
et exémplis fac nos, quásumus, ita
fortes in fide et caritaté fervéntes; ut
præmia consequámur ætérna. Per Dó-
minum nostrum.

Et, in Missis non conventionalibus, fit
Commemoratio Feriæ, juxta Rubricas.

Secreta

P

Ille nos, quásumus, Dómine, devo-
tiónis ignis accéndat: quo beáthus
Clemens María, dum salutárem offérret
hóstiam, júgiter flagrávit. Per Dómi-
num nostrum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Postcommunio

P

Cælesti pane reféctis concéde nobis,
Omnípotens Deus: ut beáti Clemén-
tis exémplo in fortitúdine cibi illíus
usque ad montem, qui Christus est, fe-
líciter perveniámus: Qui tecum vivit.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra;
et de ea legitur Evangelium in fine,
juxta Rubricas.

Die 23 Aprilis

S. Adalberti Ep. et Mart.

Duplex majus

Introitus

Ps. 63, 3

Protexisti me, Deus, a convéntu malignántium, allelúja: a multitudine operántium iniquitátem, allelúja, allelúja. **Ps. ibid., 2** Exáudi, Deus, orationem meam, cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. **¶** Glória Patri.

Oratio

Tuam nobis indulgentiam, quásimus, Dómine, beátus Adalbértus Episcopus et Martyr implóret: ut et delicta nobis cleménter ignóscas, et beneficia desideráta concédas. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio S. Georgii Mart.:

Oratio

Deus, qui nos beáti Geórgii Mártiris tui méritis et intercessióne létificas: concéde propítius; ut, qui tua per eum beneficia póscoimus, dono tuae gratiæ consequámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebráeos **Hebr. 5, 1-6**

Fratres: Omnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum: ut ófferat dona et sacrificia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et propterea debet, quemádmodum pro populo, ita étiam et pro semetípsō offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit, ut Póntifex fieret: sed qui locútus est ad eum: Filius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech.

Allelúja, allelúja. **¶** Surrexit pastor bonus, qui pósuit ánimam suam pro óvibus suis, et pro grege suo mori digná-
tus est. Allelúja. **¶ Ps. 20, 4** Posuísti,

Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretioso. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii se-
cúndum Joánnem

Joann. 10, 11-16

In illo témpore: Dixit Jesus pharisáeis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro óvibus suis. Mer- cennárius autem et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lú-
pum veniéntem, et dimítit oves, et fugit: et lupus rapit et dispérgit oves:
mercennárius autem fugit, quia mer- cennárius est, et non pertinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: et cognóscō meas, et cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnóscō Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovili: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudent, et fiet unum ovile et unus pastor.

Offertorium Ps. 20, 4-5 Posuísti,
Dómine, in cápite ejus corónam de lá-
pide pretioso: vitam pétuit a te, et tri-
búisti ei, allelúja.

Secreta

Sacrificium exhibitum, quásimus,
Dómine, benígnus assúme: ut, quod
nómini tuo in solemnité beáti Adal-
bérti Mártiris tui atque Pontíficis defé-
rimus, nobis prosit ad véniam. Per Dó-
minum nostrum.

Pro S. Georgio**Secreta**

Múnera, Dómine, oblata sanctifica:
Met, intercedente beáto GeórgioMárti-
tre tuo, nos per hæc a peccatórum no-
strorum máculis emúnda. Per Dómi-
num nostrum.

Communio Joann. 10, 14 Ego sum pa-
stor bonus, allelúja: et cognóscō oves
meas, et cognoscunt me meæ, allelúja,
allelúja.

Postcommunio

Refécti, Dómine, munéribus sacris,
súpplices te deprecámur: ut indul-
gentiam tuam nobis intercéssio beáti
Adalbérti Mártiris tui atque Pontíficis
semper implóret. Per Dóminum.

Pro S. Georgio Postcommunio

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: ut, quos tuis réficiis sacraméntis, intercedénte beáto Geórgio Mártire tuo, tibi étiam plácitis móribus dignánter tríbuas deservíre. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis extra Tempus Paschale dicitur Missa Státuit, de Communi unius Martyris 1 loco cum Orationibus et Evangelio ut supra.

Die 27 Aprilis

S. Petri Canisii**Confessoris et Ecclesiæ Doctoris****Duplex II classis****Introitus****Eccli. 15, 5**

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum, allelúja, allelúja. **Ps. 91, 2** Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime.

V. Glória Patri.**Oratio**

Deus, qui ad tuéndam cathólicam fidem beátm Petrum Confessórem tuum virtúte et doctrína roborásti: concéde propítius; ut ejus exémplis et mónitis errántes ad salútem resipíscant, et fidéles in veritáti confessióne persevérent. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum

2 Tim. 4, 1-8

Caríssime: Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus et regnum ejus: prédica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, ícrepa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritaté quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelistæ, ministérium tuum imple. Sóbrius esto. Ego enim jam delíbor, et tempus resolutiōnis meæ instat. Bonum certámen

certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justitiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus iudex: non solum autem mihi, sed et iis, qui díligunt advéntum ejus.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 118, 46** Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar. Allelúja. **V. 1 Cor. 9, 22** Omnia ómnibus factus sum, ut omnes fácerem salvos. Allelúja.

In Missis votivis per annum dicitur Graduale Ps. 118, 129-130 Mirabília testimónia tua, Dómine, ídeo scrutáta est ea ánima mea. **V. Declaratio** sermónum tuórum illúminat et intelléc-tum dat párvulis.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 108, 30** Confitébor Dómino nimis in ore meo: et in médio multórum laudábo eum. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 118, 104, 105 et 158 A mandátis tuis intelléxi, propterea odívi omnem viam iniquitatis. **V. Lucérna** pédibus meis verbum tuum, et lumen sémitis meis. **V. Vidi** prævaricántes et tabescébam, quia eloqua tua non custodiérunt.

 **Sequentia sancti Evangélii secún-dum Matthéum**

Matth. 5, 13-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanéuerit, in quo saliétur? Ad nihil valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscondi supra montem pósita. Neque accéndunt lucernam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolite putare, quóniam veni sólvere legem aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen, quippe dico vobis,

donec tránseat cælum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cælórum: qui autem fécerit et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cælórum. **Credo.**

Offertorium Ps. 33, 12 Veníte, filii, audíte me: timórem Dómini docébo vos, allelúja.

Secreta

Sanctifica, misericors Deus, hæc múnera tibi oblata, et Ecclésiæ tuæ, beáto Petro intercedente, unitatis et pacis propitijs dona concéde. Per Dóminum nostrum.

Communio Is. 12, 3 Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris, allelúja.

Postcommunio

Sacrificium, Dómine, quod in honórem beáti Petri Confessoris tui atque Doctóris obtúlimus: fidem nostram, spem et caritátem áugeat, et Ecclésiam tuam nova semper prole lætitiet. Per Dóminum nostrum.

Die 4 Maji

S. Godehardi Ep. et Conf.

Commemoratio

Oratio

Deus, qui méritis sancti Godehárdi Confessoris tui atque Pontificis semper es et ubique mirabilis: quásimus clemétiā tuā; ut, sicut ei eminéntē gloriā contulisti, sic ad consequéndam gratiā tuā, ejus nos fáciás précibus adjuvári. Per Dóminum.

Secreta

Da nobis, Dómine, quásimus, tuā pietatis effectum: et intercedente beáto Godehárdo Confessore tuo atque Pontifice, múnera nostra propitijs intuere. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

Quos donis cælestibus satiásti, sancti Godehárdi Confessoris tui atque Pontificis, Dómine, defénde præsidiis: ut nónxiis ómnibus expedíti post salu-

tária tua toto corde currámus. Per Dóminum nostrum.

¶ Pro Missa votiva S. Godehardi Ep. et Conf. dicitur Missa Sacerdótes tui, de Communi Confessoris Pontificis 2 loco cum Orationibus ut supra.

Die 16 Maji

S. Joannis Nepomuceni Martyris
Duplex

Missa Dedit mihi, inter Missas pro aliquis locis in fine Missalis hac die. Et fit Commemoratio S. Ubaldi Ep. et Conf. in corpore Missalis hac die; de quo dici possunt Missæ privatæ.

Die 5 Junii

S. Bonifatii Ep. et Mart.
Duplex II classis

Ut in Missali hac die.

Die 16 Junii

S. Bennonis Ep. et Conf.
Duplex

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco, præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui nos beáti Bennónis Pontificis confessione gloriósa circúmdas et prótegis: da nobis; et ejus imitacione proficere, et intercessione gaudére. Per Dóminum nostrum.

Secreta

Sancti tui, quásimus, Dómine, nos ubique lætificent: ut, dum eorum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta, quásimus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus gratiás exhibéntes, intercedente beáto Bennóno Confessore tuo atque Pontifice, beneficia potiéra sumámus. Per Dóminum.

Die 29 Junii

S. Petri
Patroni principalis Diœcesis
et S. Pauli Apostolorum
Duplex I classis cum Octava communi
Ut in Missali hac die.

Die 3 Julii

S. Ottonis

**Ep. et Conf., Pomeraniæ Apostoli
Patroni æque-principalis Diœcesis
Duplex I classis cum Octava communi**

Introitus Eccli. 45, 30

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus.

V. Glória Patri.

Oratio

Deus, cujus virtúte beátus Otto Conféssor tuus et Póntifex in fide instrúxit et solidávit Pomeranórum gentem: concéde propítius; ut, qui doctor factus est infidélium, pro fidélium tuórum cœtu pius intercéssor exsístat. Per Dóminum.

**Et, in Missis privatis tantum, fit Com-
memoratio S. Leonis II Papæ et Conf.:**

Oratio

Deus, qui beátum Leónem Pontíficem Sanctórum tuórum méritis coæquásti: concéde propítius; ut, qui commemoratiónis ejus festa percólimus, vitæ quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ

Eccli. 44, 16-27; 45, 3-20

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliatio. Non est invéntus símilis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurando fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiōnem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiōnibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi corónam gloriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem

in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitatis.

Graduale Eccli. 44, 16 et 20 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. V. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. V. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

¶ In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cu-
pit nimis. V. Potens in terra erit se-
men ejus: generátió rectórum bene-
dicétur. V. Glória et divítiae in domo
ejus: et justítia ejus manet in sáculum
sáculi.

**Tempore autem Paschali omittitur
Graduale, et ejus loco dicitur:**

Allelúja, allelúja. V. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja. V. Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

 **Sequéntia sancti Evangélii se-
cúndum Lucam**

Luc. 11, 33-36

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo lucérnā accéndit, et in abscónditio ponit, neque sub módio: sed supra candelábrum, ut, qui ingrediúntur, lumen vídeant. Lucérnā córporis tui est óculus tuus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lúcidum erit: si autem nequam fúerit, étiam corpus tuum tenebrósū erit. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebrae sint. Si ergo corpus tuum to-
tum lúcidum fúerit, non habens áli-
quam partem tenebrárum, erit lúcidum
totum, et sicut lucérnā fulgórīs illumi-
nabit te.

Credo, per totam Octavam.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Invéni Da-
vid servum meum, óleo sancto meo
unxi eum: manus enim mea auxiliábi-
tur ei, et bráchium meum confortábit
eum.

Secreta

Sancti tui, quásumus, Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Pro S. Leone**Secreta**

Annue nobis, quásumus, Dómine, ut intercessióne beáti Leónis hæc nobis prospicit oblátio: quam immolándo, totius mundi tribuísti relaxári delicta. Per Dóminum.

Communio *Luc. 12, 42* Fidélis servus et prudens, quem constituit dóminus super familiam suam: ut det illis in tempore tritici mensúram.

Postcommunio

Præsta, quásumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Ottóne Confessóre tuo atque Pontífice, beneficia potióra sumámus. Per Dóminum.

Pro S. Leone**Postcommunio**

Deus, qui ánimæ fámuli tui Leónis æternæ beatitúdinis prémia contulisti: concéde propítius; ut, qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, ejus apud te précibus sublevémur. Per Dóminum nostrum.

¶ Infra Octavam et in die Octava S. Ottonis dicitur Missa Státuit, ut in Festo.

Die 4 Julii**In Commemoratione
Omnium Ss. Summor. Pontificum****Duplex majus**

Missa Congregáte, inter Missas pro aliquibus locis in fine Missalis, die 3 Julii.

Et fit Commemoratio Octavæ Ss. Petri et Pauli App., ut in Missali hac die, et Octavæ S. Ottonis, ut supra 7*, ac legitur Evangelium Ecce, nos reliquimus, de Octava Ss. Apostolorum in fine.

Die 15 Julii**S. Henrici Imp., Confessoris****Duplex**

Ut in Missali hac die.

Die 18 Augusti**S. Rochi Confessoris****Semiduplex**

Missa Justus, de Communi Conf. non Pont. 2 loco cum Orationibus ut in fine Missalis pro aliquibus locis, die 16 Augusti.

Et fit Commemoratio Octavæ Assumptionis B. Mariæ Virg. et S. Agapiti Mart., ut in Missali.

Die 16 Octobris**S. Hedwigis Viduæ,****Titularis Ecclesiae Cathedralis****Duplex I classis cum Octava communi****Introitus**

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honore beátæ Hedwigis: de cuius solemnité gaudent Angeli, et collaudant Fílium Dei. **Ps. 44, 2** Eructávit cor meum verbum bónum: dico ego ópera mea Regi.

¶ Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beátam Hedwigem a séculi pompa ad húmilem tuæ Crucis sequélam toto corde transíre docuísti: concéde; ut ejus méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delicias, et in ampléxu tuæ Crucis ómnia nobis adversántia superáre: Qui vivis et regnas.

¶ In die Octava dicitur sequens

Oratio

Deus, gratiæ dator et gloriæ: tuæ nobis propítius sinum pietatis áperi et præsta; ut, qui manéntem civitátem hic non habémus, ad futúram, quam quárimus, beátæ Hedwigis interveniente suffrágio perducámur. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ

Prov. 31, 10-31

Mulierem fortè quis invéniet? Procul et de últimis finibus prétium ejus. Confidit in ea cor viri sui, et spoliis non indigébit. Reddet ei bonum, et

non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsivit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, et ci-bária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum; de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit, et vidiit, quia bona est negotiatio ejus: non exstinguétur in nocte lucérana ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígitus ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestiti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit et vénidit, et cíngulum trádidit Chana-næo. Fortitudo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt filii ejus, et beatissimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ filiæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum: et laudent eam in portis ópera ejus.

Graduale Ps. 44, 3 Diffusa est grátia in lábiis tuis: propterea benedíxit te Deus in æténum. **V. Ibid., 5** Propter veritátem et mansuetúdinem et justítiæ: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Alleluja, alleluja. **V. Ibid., 5** Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspera procéde et regna. Alleluja.

F In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Alleluja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Veni, Sponsa Christi, accipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in æténum. **V. Ps. 44, 8** Dilexísti justítiæ, et odísti iniquitátem: prop-térea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætitiae præ consórtibus tuis. **V. Ibid., 5** Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspera procéde et regna.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Alleluja, alleluja. **V. Ps. 44, 3** Diffusa est grátia in lábiis tuis: propterea benedíxit te Deus in æténum. Alleluja. **V. Ibid., 5** Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspera procéde et regna. Alleluja.

 Sequéntia sancti Evangélii se-cúndum Matthæum

Matth. 13, 44-52

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis I suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscónrito in agro: quem qui invénit homo, abs-cóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margarita, ábiit, et vénidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cælórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consumma-tiōne sáculi: exibunt Angeli, et separá-bunt malos de médio justórum, et mit-tent eos in camínum ignis: ibi erit fle-tus, et stridor déntium. Intellexístis haec ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cæ-lórum símilis est hómini patrifamiliás, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Credo, in Cathedrali tantum.

Offertorium Ps. 44, 10 Filiæ regum in honóre tuo, ástítit régina a dextris tuis in vestitu deauráto, circúmdata varietáte.

Secreta

Vultu, Dómine, plácido nos respice,
ea, quae de manu tua recépimus,
offerentes: et, quod in nobis tibi dísplicet, intercedente beáta Hedwige, grátia
tuæ benigitatís abstérge. Per Dóminum
nóstrum Jésum Christum, Fílium
tuum: Qui tecum vivit et regnat in
unitate Spíritus Sancti Deus.

Communio Ps. 44, 3 Diffusa est grá-
tia in lábiis tuis: propterea benedíxit
te Deus in æténum et in sǽculum sǽ-
culi.

Postcommunio

Sumpta, quásumus, omnípotens Deus,
hóstia salutáris ab advérsis nos ómnibus
tueáur incúrsibus: et post hujus
labóres exsílii beátæ Hedwígis inter-
veniéntibus méritis; ducat ad réquiem
opuléntam. Per Dóminum nóstrum
Jésum Christum, Fílium tuum: Qui
tecum vivit et regnat in unitate Spíritus
Sancti Deus: per ómnia sǽcula sǽcu-
lórum. **R.** Amen.

In Missis votivis loco Introitus
Gaudeámus, sumitur ille de Communi-
non Virginum 2 loco:

Introitus Ps. 118, 75 et 120

Cognóvi, Dómine, quia áequitas judí-
cia tua, et in veritaté tua humiliásti
me: confige timore tuo carnes meas, a
mandatis tuis tímui. (**T. P.** Allelúja,
allelúja.) **Ps. ibid., 1** Beáti immaculáti
in via: qui ámbulant in lege Dómini.

V. Glória Patri.

Die 23 Octobris

In Octava S. Hedwigis Viduæ

Duplex majus

Missa ut in Festo 8*, præter Oratio-
Deus, grátiae dator, **ibidem pro die**
Octava notatam.

Die 31 Octobris

S. Wolfgangi Ep. et Conf.

Duplex

Missa Sacerdótes tui, de Communi
Confessoris Pontificis 2 loco, cum
Orationibus de eodem Communi.

Et fit Commem. Vigiliæ Omnim
Sanctorum ut in Missali hac die, ac le-
gitur ejusdem Evangelium in fine, de
qua dici possunt Missæ privatæ, juxta
Rubricas.

¶ In Cathedrali hodie dicuntur duæ
Missæ: una (lecta) de Festo, sine Com-
memoratione Vigiliæ et sine Evangelio
ejusdem; altera (cantata) de Vigilia,
sine Commemoratione Festi, sed cum
Orationibus in Missa de Vigilia positis,
nisi intercedat Dominica: quia tunc in
Sabbato præcedenti fit Officium de
Vigilia.

Die 5 Novembris

Sacrarum Reliquiarum
quæ in Ecclesiis Diœcesis asservantur

Duplex majus

Missa Multæ tribulatiōnes, inter Mis-
sas pro aliquibus locis in fine Missalis,
die 5 Novembris.

Et fit Commemoratio Octavæ Om-
nium Sanctorum, ut in Missali.

Feria III

post Dominicam II Novembris

Dedicatio

Ecclesiæ Cathedralis

Duplex I classis cum Octava communi

Terribilis, ut in Anniversario
Dedicationis Ecclesiæ. In Octava Dedi-
cationis dicitur eadem Missa.

Die 19 Novembris

S. Elisabeth Viduæ

Duplex II classis

Ut in Missali hac die.

INDEX ALPHABETICUS

	pag.
Adalberti Ep. et Mart., duplex majus. 23 Apr.	4*
Bennonis Ep. et Conf., duplex. 16 Junii	6*
Bonifatii Ep. et Mart., duplex II classis. 5 Junii	6*
Clementis Mariae Hofbauer Conf., duplex majus. 15 Martii	3*
Commem. Omn. Ss. Summor. Pontificum, duplex majus. 4 Julii	8*
Dedicatio Ecclesiae Cathedralis, duplex I classis cum Octava communi. Feria III post Dominicam II Novembris	10*
Elisabeth Viduæ, duplex II classis. 19 Nov.	10*
Godehardi Ep. et Conf. Commem. 4 Maji	6*
Hedwigis Viduæ, Tit. Eccl. Cathedr., dupl. I class. cum Oct. comm. 16 Oct. — Octava, duplex majus. 23 Octobris	8*
Henrici Imp., Conf., duplex. 15 Julii	10*
Joannis Nepomuceni Mart., duplex. 16 Maji	8*
Ottonis Ep. et Conf., duplex I classis cum Octava communi. 3 Julii	6*
Petri Canisii Conf. et Eccl. Doct., duplex II classis. 27 Aprilis	7*
Petri, Patr. princip. Diœceses., et S. Pauli Apostolorum, duplex I classis cum Octava communi. 29 Junii	5*
Rabani Mauri Ep. et Conf., duplex. 4 Febr.	6*
Reliquiarum sacrarum, quæ in Ecclesiis Diœcesis asservantur. Duplex majus. 5 Nov.	3*
Rochi Conf., semiduplex. 18 Augusti	10*
Wolfgangi Ep. et Conf., duplex. 31 Oct.	8*
	10*

